



Q. D. B. V.
AD ORATIONES
QUAE DE
 Π Ο Λ Υ Π Ρ Α Γ Μ Ο Σ Υ Ν Η
IN LITTERARVM
STVDIIS
CRAS DEO VOLENTE
IN AEDE SCHOLAE CATHEDRALIS
HABEBVNTVR
BENEVOLE AVDIENDAS
OMNES LITTERARVM FAVTORES
AC PATRONOS
PRO SVO QVEMQVE LOCO
AC ORDINE
AMANTER OFFICIOSE AC DEMISSE
INVITAT
M. IO. GEORGIVS Schulze.

NVMBV RGI,

Typis BALTH. BOSSOEGELII, Privil. Typogr.



Irum alicui videri poterat, quid tandem in mentem venerit Senecae, cum in epistola I scriberet, *totam nobis vitam aliud agentibus elabi*. Verum si recte, vt ipse iubet, voluerimus attendere, facile animaduertemus, philosophum nihil dixisse, quod a veritate sit alienum. Quotus enim quisque mortalium reperitur, qui ita intra muneris sibi demandati cancellos se contineat, vt non extra illos vagatus, aliena potius, quam sua curet. Non loquemur iam de viris facti ordinis inter Romanenses, quos *πολυπραγμοσύνης* a nostratibus, nec immerito, argui, novimus. Nos potius ipsi ac nostrates aspiciamus, quorum multi iis rebus sese immiscent, quae a muneris, quod sufficient, ratione longissime sunt remotae. Dantur enim sacrarum litterarum consulti, qui ea tractant, quae iuris civilis peritorum sunt propria. Contra ea in theologorum messem facem suam immittunt illi, quorum est, disceptandis in foro causis vacare. Salutaris autem artis periti non satis habent herbas acque succis corpora hominum morbis, quibus implicantur, leuare, nisi etiam animos eorum a prauarum opinionum vitiorumque, vt loquuntur, peste liberent. Sed haec iudicanda illis relinquimus, quibus impunitet in aliorum vitam ac mores virgam stringere censoriam. Neque nunc eos tangemus, qui ob tenuem, quod merentur, stipendium, ea peragere coguntur, quae ab *αίσχροεργία* proxime absunt, ideo quidem, vt habeant, vnde se suosque alere possint. Ac Iudaeis quidem olim vitio verti non debuit, quod litterarum studiis addicti, vel artem sellulariam exercebant, vel mercaturam faciebant. Eum enim in finem hoc vtebantur instituto, vt non ipsi solum sibi parare vitae praesidia possent, nec aliunde pendere cogerentur, sed & vt corpus duro labore ita adfligerent, ne prauarum cupiditatum stimulis, quibus litterarum alumni prae reliquis obnoxii sunt, sollicitarentur. Hinc factum est, vt inter recutitos illos Hebraeorum doctores commemorentur fuisse pelliones, pistorum, sutores, fabri ferrarii et lignarii, vespillones etiam, & qui non? Nam adeo non vllum laborem persona sua indignum putabant homines illi litteris operati, vt ne turpe quidem sibi crederent, id quod eorum prouerbio fertur, carnificum occupando partes, publice cadauer excoriare. Quid? quod non consuetudine solum receptum, sed et in leges apud eos additum fuit, vt legis diuinae studium cum opificio aliquo coniungeretur: quia sine hoc illud viam ad vitia potius, quam ad virtutes hominibus panderet. Cuius rei vix illustrius exemplum proferri potest, quam legati illius seruatoris, Pauli: quem constat in schola Gamalielis diu multumque versatum, ne ab aliis ad cultum

viciumque sibi parandum necessaria exigere cogeretur, ipsum, tabernacula conficientem, sibi suisque locis comparauisse ea, quae ad vitam tolerandam pertinebant. Neque in Graecia turpitudini fuit Cleanthi, quod noctu aliis operam ad exhauriendos in hortis puteos locaret, vt interdum haberet, vnde viueret, sapientiae studiis vacaturus. Hippias vero Eleus sibi eo vehementer placuit, quod ad corpus suum et vestiendum et ornandum aliena opera non indigeret: quippe quem accepimus, cum Olympiam venisset, tota pene audiente Graecia, gloriatum esse, annulum, quem haberet, pallium, quo amictus, succos, quibus indutus esset, se sua manu confecisse. Imo eo iactantiae processit, vt adfirmaret, nihil esse in toto supellectilis suae instrumento, quod se ipsum non agnosceret auctorem. Cui Iulium Caesarem Bortifangam comparandum putat Erythraeus: propterea quod non femoralia solum, thoraces, sagos, qui essent apti atque habiles ad ea corporis membra, quibus parabantur, sibi ipse descripsit, formauit, consuitque; verum etiam vestes, vnde haec sibi concinnaret, sua manu texuit. Neque solum fidibus praeclare cecinit; sed etiam fides ipsas, testudines, clauicymbala, aliaque instrumenta musica melius, quam quiuis artifex, sua itidem manu elaborauit. Quid? quod tam penicillo, quam acu pingendi adeo peritus fuit, vt pictorum quemuis phrygionumque, artis suae callidissimum, in contentationem certamenque prouocare potuisset. Quos ex nostratibus imitatus est Myconius, qui Romanensium adhuc immerfusus tenebris, et litteras diuiniore cum commentario Lyrae perpetuo legit, et bibliopegorum in compingendis libris munere functus est. Neque tornatorum artis ignarus fuisse dicitur, cui cum alii eruditissimi viri, imo et principes quidam, tum Lutherus noster ideo operam dederunt, vt eius exercitatione firmam sibi conseruarent valetudinem. Quae consuetudo ne nostra quidem aetate penitus exspirauit: siquidem rumor est, quosdam litterarum alumnos in academiis arte pingendi et automata conficiendi ad fatim sibi comparare, vnde vitam sustentare, et impensis, quas studiorum tractatio postulat, tolerandis sufficere possint. Quemadmodum autem exiguus eorum est numerus: ita nunc multi dantur artibus illiberalibus addicti homines, qui liberales illas, imo ipsam philosophiam non a limine tantum sibi salutandam putent. Dantur profecto fabri, qui, depositis tantisper marculis, philosophorum lites ac controuersias decidere, imo scripta de iis ac liberos procudere non vereantur. Sed hanc *πολυπραγμοσύνην* merito auctoribus eius defendendam relinquimus, de illa tantum in praesenti acturi, quam in studiis litterarum, earum alumni, tam in scholis inferioribus, quam superioribus, admittunt. Quanto autem damno haec *πολυπραγμοσύνη* mactare soleat eos, qui se

il-

illi vincendos constringendosque praebent, iamdudum sapien-
 tissimi viri, editis in eam rem scriptis, exposuerunt, declarantes,
 propterea nullam ferme vel linguam vel disciplinam, pro eo ac
 deceat, nostros addiscere homines, quod pluribus simul arripien-
 dis sint intenti. In quo eos errasse, quis dicere audeat? Quem
 admodum enim labor assiduus, isque vni rei deditus, praeclarum
 quid perfectumque efficere potest: ita mancum sit necesse est ac mu-
 tilum id, quod tum producit, cum pluribus rebus impenditur. Ipsa
 etiam ingenii nostri vis, teste Erythraeo non est infinita, sed ex-
 iguis quibusdam finibus continetur: fierique aliter non potest,
 quin, in plura studia si distrahitur, debilitetur, ac se ipsa fiat mi-
 nor, nec singulis satisfaciatur. Idem igitur istis et linguarum et
 disciplinarum, vt ita loquar, heluonibus accidit, quod Alexan-
 dro, Macedonum regi, qui ea, quae priore die occupauerat,
 postero amittebat; cum tamen cogitare debuisset, non minorem
 esse virtutem parta tueri, quam quaerere. Accedit, quod illi,
 qui omne tempus variis et linguis et artibus addiscendis impen-
 dunt, nullam eius partem piis precibus, diuinorum litterarum
 lectioni, salutique animae suae procurandae tribuere possunt: at-
 que inde fit, vt, quod prouerbio fertur, quo quis doctior, eo
 plerumque sit deterior. Denique quis est adeo rerum omnium
 ignarus, qui nesciat, ad quam horrenda scelera patrandae homi-
 nes impellere soleat illa in studiis *πολυπραγμοσύνη*? Clemens
 certe iste, de quo ante aliquot annos Berolini sumtum est suppli-
 cium, vt publicis ad nos perscriptum fuit litteris, fassus est, se ad
 eam nequitiam, vt reges Romanorumque imperatorem committe-
 re auderet, eo excitatum fuisse, quod theologiam cum iuris ci-
 uilis scientia coniunxisset. Atque hoc argumentum est, de quo ver-
 ba facit prius **Michael Mayer Numburgensis**, quam a nobis
 discessionem facturus, omnes bene de se praeclareque adhuc me-
 ritos valere iubeat. Qui quidem praeceptoribus suis ita pro-
 batus fuit, vt nemo eorum sit, quin ex animo precetur, velit Deus
 ter optimus terque maximus, conciliato ipsi summorum patro-
 norum fauore, studia eius eo prouehere, vt probitatis suae ac di-
 ligentiae fructum percipiat vberimum. Haec etiam summa est
 votorum, quae condiscipuli pro illo faciunt: quorum nomine
Io. Andreas Runkke Numburgensis, bonae indolis ac spei iu-
 uenis, fausta quaeuis ac felicia illi abeunti apprecabitur, cum prius
 demonstratum dederit, quamdam in studiis *πολυπραγμοσύνη*
 nostra aetate esse necessariam. Cui actui oratorio cum crastini
 diei hora X sit destinata: omnes, quibus commodum est, litte-
 rarum fautores ac patronos, vt sua praesentia singulare illi orna-
 mentum conciliare ne grauentur, summo opere rogamus. P.P.
 Numburgi VI Cal. Octobr. MDCCXXVI.

78 M 496

ULB Halle 3
001 618 148



TA-506

KONP

017






Q. D. B. V.
 AD ORATIONES
 QUAE DE
 ΠΟΛΥΠΡΑΓΜΟΣΥΝΗ
 IN LITTERARVM
 STVDIIS

IN AEL

OMNE

AMA

Ty



ENTE
 A THEDRALIS
 VR
 ENDAS
 FAVTORES
 OS
 LOCO
 AC DEMISSE

Schulze.

Privil. Typogr.

AK